

qui nunc blasphemantes, maledicentes, calumniantes, detrahentes, conviciantes, mentientes iniqua loquuntur. Hos duos versiculos aliqui exponunt de Dauide, aliqui de Christo. Verè enim Saul, & cæteri inimici Dauidis, qui cum interficere cupiebant, vt ipsi securè regnarent, in vanum laborauerunt: nam & ipsi extincti sunt, & Dauid gloriôsè regnauit. Sic etiam Iudæi, qui Christum occidere satagebant, ne venirent Romani, & tollerent locum eorum, & gentem, vt dicitur Ioan. 11. Noluerunt Agnum habere Regem, & habuerunt vulpem simul & leonem: nam & Romani ciuitatem eorum euerterunt, & Regnum abstrulerunt, ipsis maxima strage fermè delictis; & Christus resurrexit, & gloriosissimè regnauit, & regnat, & Regni eius non erit finis. Nos tamè sanctum Hilarium, & sanctum Augustinum sequuti, exposuimus de Iustis in vniuersum, & eorum capite, ac Rege Christo; vt doctrina, & consolatio Scripturarum ad plures pertineret.

PSALMVS LXIII.

Titulus, & Argumentum.

In finem Psalmus Dauid.

HVNC Psalmum de solo Dauide aliqui explicant, qui liberari à persecutoribus cupiebat: aliqui ad solum Christum referunt, cuius passio in hoc Psalmo ex parte describi videtur. Sed nihil impedit, quominus de Dauide, & de Christo, cuius typum Dauid gerebat Psalmum intelligamus; imò etiam de Martyribus alijsq; iustis, quorum caput Christus est, & in Psalms, nunc in persona sua, nunc in persona membrorum suorum loquitur. Nos tamen persequemur expositionem sanctorum Patrum, qui de Christo potissimum totum hunc Psalmum explicauerunt.

EXPLICAT. PSAL. LXIII.

EXaudi Deus orationem meam, cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam. I.

More suo Propheta primùm petit exaudiri, deinde exponit, quid cupiat. Exaudi, inquit, orationem meam cum deprecor, id est, fac obsecro ne frustra deprecet. Sanctus Hilarius legit, Cum tribulor, pro eo, quod nos habemus, cum deprecor: sensus est idem; sed nescio quid sequutus sit: nam vox hebraica significat, submissè loqui, quod est signum humilitatis, & reuerentiæ: & sic Anna orabat, 1. Reg. 1. vt tantum labia mouerentur, & vox penitus non audiretur: vox etiam græca precari, non tribulari significat. A timore inimici eripe animam meam: hæc est petitio, quæ duobus modis intelligi potest, primùm, vt petat à liberari à timore inimici volentis occidere, tollendo materiam timoris; efficiendo videlicet, vt inimicus non possit, vel non velit occidere: & hæc videtur literalis expositio: secundo, vt petat liberari ab ipso timore humano, non tollendo materiam timoris; sed augendo charitatem, & constantiam, vt nō timeat mortem carnis; sed timeat mortem peccati: siue, vt non timeat homines, qui possunt corpus occidere, & post hæc non habent amplius, quid faciāt: sed timeat Deum, qui potest, & corpus, & animam perdere in gehēnam, vt Dominus monet Matth. 10. Et hæc est expositio sancti Augustini spiritualis, & vtilissima: nam liberari à timore mundano, & radicari in timore diuino in omni tribulatione, optimum est. Sed in hoc posteriore sensu Christus in persona membrorum suorum infirmorum loquutus est: in priore autem, in persona etiā sua loquutus esse videtur: sicut enim in horto pridie passionis timere, & pauere dignatus est, & orare, Pater si fieri potest, transfer calicem hunc à me: sic hoc ipsum per Prophetam prædicere voluit.

Protexisti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. II.

In hoc: